







22


Fi. 11. 74. 1. 3.

1757

14

DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
 DE  
**EFFECTV FELONIAE**  
**VASALLI QVOAD SVCCESORES**  
**FEVDALES PRAETER LEGITI-**  
**MOS, ET EFFECTV FELONIAE**  
**SVCCESSORVM FEVDALIVM**  
**QVOAD ALIOS SVCCES-**  
**SORES FEVDALES.**


P. 341.



QVAM  
 SVB AVSPICIIIS SVMMI NVMINIS,  
 CONSENSV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
 IVRISCONSVLTORVM ORDINIS,  
 PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
 HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
 RITE CONSEQVENDIS,

DIE XVI. SEPTEMBR: A. MDCCLVII  
 HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS PVBLICE DEFENDET

**ERNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL**  
 QVEDLINBVRGENSIS.



HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS FABERIANIS.





ET VBIQUE SITATIONE TUA VBIQUE HABITATIONE

EFFECTU FELONIAE

YASARIGOR VBIQUE HABITATIONE

MOSES ET EFFECTU FELONIAE

SVCESSORVM FEVDALIVM

OVODALIOS SVCCAS

SORES FEVDALIS

CONSTITVTIONIS SVCCAS

CONSENSV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS

SVCCAS SVCCAS

PRO SYMMINIV VBIQUE HABITATIONE

HONORIS SVCCAS SVCCAS

CONSTITVTIONIS SVCCAS SVCCAS

CONSTITVTIONIS SVCCAS SVCCAS

CONSTITVTIONIS SVCCAS SVCCAS

ENNESTE CHRISTIANVS SVCCAS SVCCAS

CONSTITVTIONIS SVCCAS SVCCAS

CONSTITVTIONIS SVCCAS SVCCAS





ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO  
DOMINO,  
DOMINO

CAROLO LVDOLPHO

S. R. I. LIB. BARONI

DE

DANKELMANN,

DYNASTAE IN LODERSLEBEN, OPHAVSEN,  
CETERA,

POTENTISSIMO BORVSSORVM REGI ET  
ELECTORI BRANDENBVRGICO

AB INTIMIS STATVS MINISTERIIS ET  
SANCTIORIBVS CONSILIIS,

PRIMARIO PRAESIDI RERVM ECCLESIASTICARVM  
OMNIVM AC SVPREMI SENATVS ECCLESIASTICI  
ELECTORALIS MARCHICI.

SVPREMO MODERATORI ET CVRATORI OMNIVM  
REGIARVM ACADEMIARVM ET SCHOLARVM VT  
ET PIBLIOTHECAEREGIAE,

RERVM FEVDALIVM DIRECTORI,  
CAVSSARVMQVE GALLICARVM CIVILIVM ET  
ECCLESIASTICARVM GVBERNATORI,  
IVSTITIAE ACLITTERARVM STATORI







VIR ILLVSTRISIME ATQVE  
EXCELLENTISIME,  
DOMINE GRATIOSISIME



I nsignis ILLVSTRISIMINO-  
MINIS TVI splendor, prae-  
clara in patriam, quam sapien-  
tissimis moderaris et temperas  
consiliis et ad summum floris et felicitatis  
fastigium euehis, merita, praeualidum  
in primis, quo foues nutrisque litteras,  
praesidium, iustissima iam pridem ac de-  
uotissima TVI veneratione animum per-  
cussere. His iuncta eximiae TVAE hu-  
manitatis ex vnanimi omnium concele-  
bratione profecta conscientia, spem in-  
jecit solidissimam fore, vt TIBI non om-  
nino displiceret communibus omnium bo-  
norum acclamationibus intermixta aliqua

3

mea



mea venerabundae mentis publica ex-  
pressio. Accessit inde animus, vt iam  
hocce scientiae tirocinium ad **TE** sub-  
mississime deferre, **TVOQVE NOMINI**  
**ILLVSTRISSIMO**, dicare audeam.  
Quod licet sciam esse leuius indeque in-  
scripsisse illud **TANTO NOMINI** confi-  
denter nimis et inuerecunde factum pos-  
sit videri: tamen admiratione **TVI** peni-  
tus abrepto tam effusa et pertinax insidet  
fiducia, vt animo vix temperem et ab inito  
consilio aegre queam reuocari. Habet  
haec officii quoque excusationem, quod  
nemini iustius studiorum et insumti in Aca-  
demiis temporis rationes reddantur, quam  
**EI**, **QVEM** suprema et tutoria cura pro  
iis excubare voluit **SAPIENTISSIMI**  
**REGIS** clementia. Non dedignare itaque  
**VIR ILLVSTRISSIME**, conamen, si non  
ab alia re, tamen a sanctissima **TVI** veneratione commendabile. Addat optimum Nu-  
men vitae **TVAE** omnibus exoptatissimae  
longam annorum seriem, fervet **TE** in  
**MAXIMI REGIS** delicias, patriae salutem,  
reipublicae litterariae decus et fulcimen et  
**FAMILIAE ILLVSTRISSIMAE** splen-  
dorem



dorem, fospitem et incolumem quam diu-  
tiffime. Haec ex animo precatus, TVO  
Patrocinio TVAEQVE gratiae me quam  
devotiffime commendo,

VIR ILLVS TRISSIME  
ET ECCELLENTISSIME  
DOMINEGRATIOSISSIME  
ILLVSTRISSIMINO MINIS TVI

Halae  
d. XVI. Septembr.  
MDCCLVII.

humillimus cliens  
ERNESTVS CHRISTIANVS  
WESTPHAL



habetur in scripturis et in traditione apostolorum  
et in consensu sanctorum patrum. Habetur  
in scripturis et in traditione apostolorum  
et in consensu sanctorum patrum.

ILLYSTRISSIMO MINISTRO  
DOMINI GRAVISSIMO  
ET REVERENDISSIMO  
VIRI REVERENDISSIMI

WESTPHAL  
RECTORIS CHRISTIANI  
SCHULE







DE  
EFFECTV FELONIAE VASALLI  
QVOAD SVCCESORES FEVDALES  
PRAETER LEGITIMOS,  
ET  
EFFECTV FELONIAE SVCCESORVM  
FEVDALIVM QVOAD ALIOS SVCCES-  
SORES FEVDALES.

---

§. I.



Est ea nonnullorum saeculi litterionum  
ridicula consuetudo, vt, si forsán ar-  
gumentum quoddam a suae professio-  
nis hominibus nondum satis pro  
indole et natura sua explicatum et  
illustratum inveniunt, statim orbi lit-  
terario doctum opus, a se proxime  
exarandum, prima data occasione annuncient, eaque  
de re, vt serio egisse ipsos appareat, fidem sanctissime  
A ad-



adstringant Deumque lapidem iurent; at vero postea de die in diem, donec sapientem animam efflaverint, promissum morentur, sicque invidiose desideratissimi opusculi ne primas quidem lineas cum expectabundo orbe communicent. Horum vt exempla fugeremus, non committendum putauimus, vt eius, quod non ita pridem in dissertatione: *de effectu feloniae vasalli quoad successores feudales legitimos innocentes* polliciti sumus, argumenti immemores, quae supersunt adhuc de feloniae effectu capita non persequeremur. Propositi potius tenaces iam ad explanandum feloniae vasalli quoad successores praeter legitimos effectum pedem proferimus, cui et effectum feloniae a successoribus perpetratae quoad alios successores ob instituti rationem interserere placuit. Scilicet cum eos *successores legitimos* dixerimus, qui vnicum succedendi fundamentum a sanguine seu qualitate posterii primi acquirentis habent, nunc *successores praeter legitimos*, eos successores vocamus, qui non e sanguine, sed ex immediata a domino directo iuris sui acquisitione, succedendi principium petunt. Atque hi quidem *vasalli seu vasalli possessoris successores* diuiduntur primo loco in *successores feudales in feudis ecclesiasticis* et in *successores feudales in feudis non ecclesiasticis*. Quanam vero sint feuda ecclesiastica, quanam non sint, infra explicabimus. Deinde distinguuntur in eos, qui dominium vtile ipsum absque exercitio immediate iam acquisiverunt a domino, vel hoc ius nondum acquisiverunt. Illi dicuntur *simultanee investiti*, et sunt vel *simultanee investiti puri seu in specie sic dicti* vel *eventuales*, prout dominium vtile pure



pure aut sub conditione adepti sunt. *Hi* vel a solo domino ius suum concessum habent, vel a vasallo simul, qui id connivente domino largitus est. Priores vocantur *Expectatarii*. Posteriores vel ultimae vasalli voluntati, vel actui inter vivos seu pacto, a domino confirmatis, ius suum acceptum ferunt, et hinc sunt aut *successores testamentarii* aut *pactitii*. Quod autem ad *successorum feudaliū vasalli successores feudales* attinet, de his in singulis capitibus continuo post successores feudales vasalli, ubi opus est, agetur. Ipsam autem de successoribus vasalli feudalibus doctrinam non iniuria ita dispescimus, ut *primò de successoribus feudalibus in feudis non ecclesiasticis, tum vero de iisdem in feudis ecclesiasticis* disputemus, in utraque autem sectione successorum feudaliū vasalli, *pro iuris*, quod habent, *amplitudine, discrimina* dispiciamus. In limine autem operis *generalia* quaedam, seu ad nullum capitulum subsequentium redigenda themata, quibus in *ipsa tractatione* incommodius careremus, praemittenda duximus.

## SECTIO I.

## PRINCIPIA QVAEDAM GENERALIA.

## §. II.

**P**er ius naturae felonia non in vasallum possessorem, sed in omnes etiam successores feudales felonia cadit. Omnis enim dispositio intelligenda cum clausula: rebus sic stantibus. Iam vero, cum dominus directus successionem alicui in feudum decrevit, dubio caret, eum in hoc animum, perfidiae in eum nescium, sed talem, quem



lem oporteret, probum, candidum dominique studiosissimum supposuisse. Inde si postea alium experitur, ob clausulam: rebus sic stantibus, dominum beneficii potest poenitere.

§. III.

*Secundum ius Longobardicum distinguendum, an successor feudalis simultanee vel mediate investitus sit, nec ne. Prior ut vasallus possessor felonias committit, posterior autem felonias tantum erga dominum, erga alios vero non committit. Feloniae enim tam erga dominum quam erga alios vasallo tribuuntur. Iam vero e multis iuris Longobardici locis demonstrari potest vasallos non tantum dici eos, qui feudum possident, sed alios etiam, qui ius in feudo reale habent; inde simultanee et mediate investitum non minus, quam vasallum possessorem, ad utramque feloniam aptum esse censendum est.*

At vero cum non facile ius Longobardicum eos, qui non nisi iure personali gaudent, vasallos appellet, et specialis iurique naturali ignota feloniarum erga alios effectio ad exemplum non trahenda, sed strictissime explicanda est: feloniam tamen erga dominum etiam in successoribus iure personali tantum instructis admittendae, quia id iuri naturae congruum, nec per ius positivum clare et expresse sublatum est.

Quod de prioribus adseruimus, multis verbis probavit MYLIUS *Diss: de felon: ante praest: fidelit: iuram: commiss: cf WERNHER Diss: de Success: in Sim: Inv: §. 21.* ubi casum quemdam in hanc sententiam ex iure Longobardico decisum invenies. Quoad posteriores nobis adsentitur



sentitur STRUV. s. I. F. c. 15. *Aph.* 10. n. 6. qui tamen felonias erga dominum et alios non distinguit. V. etiam BESSEL. *Diss: de Exsp: Feud: c. 6. §. 3.*

## §. IV

*Ius Germanicum hic exulat, inde ubique res ex iure Longobardico decidenda est.* In legibus enim antiquis Germanicis, licet multa de felonis obuia sint, tamen quaenam delicta ad felonias retulerint, certo nullibi determinatum est. Inde ius Germanicum normae locum sustinere nequit, sed aliunde principia petenda sunt, et ex iure quidem Longobardico, non iure naturae, quia ad hoc non recurrendum, nisi dificiente omni lege positiva communi.

## §. V.

*Succeffores feudales praeter legitimos ob feloniam vasalli numquam feudo priuantur, vt legitimi interdum, sed effectus feloniae quoad ipsos semper est feudi ad se translatio, idque tam iure naturae, quam iure positivo, valet.* Succeffores feudales enim praeter legitimos immediate a domino ius suum acquisierunt, inde inter ius ipsorum et vasalli nulla plane est connexio, inde ipsis felonia vasalli numquam obesse potest. Ius naturae itaque ita statuit, vt diximus, nec ius positivum ob eo divertere probari potest.

## §. VI.

*Ordo, secundum quem feudum ob feloniam vasalli ad successores feudales deuoluitur, is est, vt primo transmittatur ad successores legiti-*



legitimos, si feloniam eius indolis non est, ut per eam hi excludantur, quod si sit, aut plane desunt successores legitimi, proximi ab iis sunt simultanee investiti puri, quos excipiunt simultanee investiti eventuales, demum vero agmen quasi claudunt personali iure praediti idque tam iuris naturalis quam iuris positivi est. Non alio enim modo e feloniam vasalli proficere possunt, quam absque ea illi successissent, hunc autem esse succedendi ordinem ita patet:

Dominus, qui quemquam pro se et suis successoribus legitimis feudo donavit, idem vero olim habendi et aliis praeterea spem concessit, per hanc concessionem posteriorem procul dubio priorem tollere nec voluit, nec potuit. Iam vero tolleretur prior concessio, si, quamdiu exstant, qui ex ea succedendi ius habent, alii feudo potirentur; inde in successione in feudum legitimos successores agmen ducere in aprico est.

Ius reale autem semper fortius est, iure personali, inde, cum in collisione iurium fortius vincat, dubium non est, quin ex certamine simultanee investitorum cum iis, qui non nisi personale ius fortiti sunt, illi superiores discedant. Cumque ius purum eo, quod conditionato semper antiquius est, conditionato anteponendum sit, patet itidem inter simultanee investitos, puros eventualibus praecedere debere.

Ius reale iure personali etiam ex principiis naturalibus esse fortius, et ius purum conditionato esse antiquius, aptius quidem alibi, quam hic, demonstraretur et apud nos lemmatis vices feliciter sustineret. Quoniam tamen haec alibi iam asserta et rationibus evicta non noverim, indeque paucissimis probatum iri praevideo: diverticuli veniam rogo,



rōgo, et his quaestionibus aliquantisper immoror. Ius personale iure reali esse infirmius ita probō: si ius fortius dicitur, quod plus alio iure continet, sequitur ut ius reale personali sit fortius. Iam vero omnes in iuris fortioris notione nobiscum consentiunt, inde prodit, quod volumus. Minor propositio demonstratione non eget, cum in genere omne id fortius dicatur, quod effectibus praepollet, nihil autem his superius esse possit, in quo plus non sit, quam in altero. Maior propositio autem ita patet: Si omnia iura personalia, quae circa futuram rerum acquisitionem versantur, tantum ad consequenda olim iura realia tribuuntur, numquam vero iura realia conceduntur ad adificienda iura personalia: oportet in iure reali plus esse quam in personali, sicque hoc illo esse debilius. Iam verum est prius, inde euidētum est posterius. Circa maiorem propositionem nemo facile haesitabit, qui cogitauerit, si ius reale numquam praemittitur personali, illud hoc saltem non esse inferius, sed potius, cum iuri reali personale semper praecedat, et sebriculosum foret, largiri ius quoddam ad impetrandum olim aliud ius, quod priori valore ac pondere non praeriret, ius reale personali esse opimius. Minor autem propositio experiundo constat. Nam pone quem venditionem agri cuiusdam sibi stipulatum esse: habet is ius ex contractu personali; sed quorsum hoc spectat? nusquam, nisi ad consequendum agri dominium, i. e. ius reale, fac quemquam conduxisse, fundum quempiam; est ipsi ius personale; sed quonam hoc tendit? eo scilicet, ut dominium fructuum ac reddituum fundi acquirat i. e. ius reale. Nullum vero exemplum dati iuris realis in spem iuris personalis poterit in contrarium adferri.

Quod ad alteram quaestionem attinet, hic ita plerique nostram opinionem debellant: conditiones iuribus adiectas, aeternis iam Dei consiliis, antequam existerent, esse prouisas et difinitas, indeque, si existituras decreuerit  
supre-



supremum Numen, ius sub conditione concessum statim concessionis tempore esse certum et immobile, hominum tantum ignorantiae et angustiis mentis limitibus tribuendum, quod ius ex providentia divina iam certum, incertum adhuc existiment. At enim speciosius haec discutantur, quam verius. Primo enim id, quod tantopere agitant, duci omnia aeterna quadem providentia, ad eas tantum conditiones pertineret, quae non sunt actiones hominum spontaneae. Has enim perennibus Dei decretis esse determinatas, nemo sanior hodie facile contendit. Deinde vero falsa est conclusio: certum est, hoc ius quondam mihi competiturum, ergo iam nunc certo mihi competit. Cur enim non ita quoque possem ratiocinari: si quis rem mihi quondam vendendam promisit, sicque ius personale concessit, iam praestabilitum est, utrum olim eius rei dominium consequar, inde dominium ipsum iam nunc certo mihi competere quid prohibet? Si verum esset, cum qui ius quoddam sub conditione largitus est, id statim iam tum pure concessurum fuisse, si certo existuram sciisset; origo et principium iuris, conditione postea existente, forsitan ad tempus conditionatae concessionis referri posset. Verum id cogi nequit ex iuris conditionata translatione, sed, in contrariam potius partem, concedens, etiam conditione certo existente, conditionate concedendo declarasse censendus est, ante existentiam conditionis ius incipere et exordiri nolle, cum quam minimum tribuisse praesumendus sit. Initium itaque iuris conditionate concessi semper a tempore contingentis conditionis computandum est. Nec obstat, conditionato iure praeditum, statim a tempore promissionis ius habere, vi cuius tempore conditionis euenientis illo, ut puro, potitur. Ius enim hoc quod ante conditionem ipsi quaesitum est, aliud est, quam id quod post eam adipiscitur, ut adeo a diversis ad diversa perperam argumenta fiant. In omnibus nobiscum concors

est ill. NETTELBLATT in Syst: Elem: vnto: Nat: p. 1.

§. 292.



§. 292. Qui, Si promissioni, inquit, sive mortis causa sive inter vivos factae inest conditio, distinguendum est inter ius illud, quod tendit ad acquisitionem iuris a conditione suspensi et illud ipsum ius, quod a conditione suspensum. Prius ius in genere in eo consistit, quod standum sit promissioni, conditione existente, estque quam primum facta est acceptatio, ius praesens seu quaesitum, pendente licet adhuc conditione. Posterius ius vero pro conditionis diversitate differt. Quibus verbis quin eodem respexerit Vir Eximius, quod hic multis verbis disputavi, nullus plane dubito.

## §. VII.

Dominus, qui in casum, quo successores legitimi, qui in feudum a vasallo amissum succedant, non exstebunt, i. e. casum aperturae, successoribus praeter legitimos ius in feudum succedendi dedit (§. VI.) non temporariam aperturam, i. e. tempus, quo ob feloniam vasalli feudum ad dominum redit, donec successores legitimos ordo succedendi tangat, sed perpetuam, i. e. tempus, quo successores legitimi plane aut deficient aut excludentur, intellexisse videtur. Saepenumero enim per aperturam indefinite vocatam homines nil nisi aperturam perpetuam intelligere solent; cum itaque haec vox ambigui sit sensus, et in dubio pro promissore explicandum sit, domini promissio ad omnia aperturarum temporariarum minuta interuallo non trahenda est.

## §. VIII.

Successores praeter legitimos non demum extinctis, vasallo delinquente, cui feudum adimitur, et eius familia, sed statim post vasalli eiectionem ad feudum admittendi sunt. Cum enim in

B

casum



casum aperturæ dominus successoribus præter legitimos successionem promiserit isque statim adsit, quamprimum vasallus expulsus est; dubium non est, quin statim admittendi sint, nec ambiguit et obscure, sed clare manifestoque satis locutus est dominus, ut hic ei id, quod §. XII. *diff. præc.* domino proderat, hoc loco prodesse nequeat.

## §. IX.

*Quod de successoribus feudalibus vasalli §. v. et vi. traditimus, valet etiam, ubi successores eiusmodi adsunt, et mutatis mutandis, de successoribus feudalibus successorum. In pari enim causa parem esse effectum mirum non est.*

## §. X.

*Effectus felonie successorum feudalium quoad successores legitimos ex iure naturali et Longobardico idem est, qui est felonie vasalli quoad successores legitimos, nec ex aliis quam Longobardicis, principiis in praxi et usu communi effectus hic dijudicandus est. Cum enim differentiae ratio reddi nulla possit, quicquid valet de successoribus legitimis vasalli, etiam tuto transferendum ad successores legitimos successorum, cumque effectum felonie vasalli quoad successores legitimos hodie non ex legibus Germanicis sed iure Longobardico aestimandum esse §. XLV. *diff. præcedentis* docuerimus, planum est, idem in effectum felonie successorum quoad suos successores legitimos censendum esse.*

## §. XI.



## §. XI.

Dominus directus, si successores legitimi ex felonia vasalli locupletantur, potest quocunque tempore eamdem vasallo remittere salvo iure quaesito successorum. Si vero ad successores praeter legitimos feudum ob feloniam devolvitur; distinguendum, an dominus iam vasallum feudo exsortem verbis factis declaraverit, an vero non. Priori casu nequit, posteriori potest salvo iure successorum feloniam vasallo gratificari; idque non solum iuri naturae, sed et iuri positivo conforme est, et de successorum successoribus feudali- bus aequè dici potest. Successores legitimi enim non nisi tempore, quo in casu mortis successissent, in casu feloniam ad feudum aspirant. Inde sive remittatur vasallo felonia, sive non, eorum parum refert. Successores reliqui autem statim post declarationem domini de exturbando ob feloniam vasallo ius continuo ipsi succedendi nanciscuntur, inde salvo eorum iure quaesito postea felonia remitti amplius nequit. Antea vero, quia felonia commissa putari nequit, quam quae a domino, vt laeso, pro felonia agnos- citur, ius successorum praeter legitimos quaesitum adesse nequit, indeque dominus salvo eorum iure quaesito feloniam remittere potest.

Egregie hoc fuseque demonstravit BAVER *Diss: de Amiff: Feud: ob Negl: Renov: Invest: §. 69.* quorsum itaque plura de hoc argumete legendi cupidos ablegamus,

SECTIO II.  
TRACTATIO IPSA

B 2

CA.



CAPVT I.  
DE  
EFFECTV FELONIAE VASALLI  
QVOAD SVCCESORES FEVDALES PRAE-  
TER LEGITIMOS IN FEVDIS  
NON-ECCLLSIATICIS.

MEMBRVM. I.  
DE  
EFFECTV QVOAD SIMVLTANEE  
INVESTITOS.

§. XII.

*Simultanea investitura late est investitura immediata plurium de eodem feudo. Qui plures vel de dominio vtili et eius exercitio singuli investiti sunt, vel quidam dominio vtili ipso et eius exercitio, reliqui dominio ipso tantum investiti sunt, non eius exercitio. Haec simultanea investitura dicitur coniuncta manus in eaque ii qui vtroque investiti sunt, vocantur vasalli principales, qui vno tantum, scilicet dominio ipso, vasalli accessorii. illa vel pro partibus indivisis de feudo plures investiti sunt, vel pro partibus divisis. Priori casu investitura simultanea audit communis, posteriori divisa. Hae species pertinent ad simultaneam investituram puram seu in specie sic dictam cui opposita eventualis. (§. I.)*

In speciebus rerum digerendis, miraculi instar et mali omnis res foret, si sibi constarent omnes Isti. Inde mirum



rum non est, si in distinguendis simultaneis investituris suffregiorum summa est obique discordia. Sunt qui plures, sunt qui pauciores species, quam nos effinximus, in oculis gestant. Hi, qui breviores sunt, non nisi duas agnoscunt simultaneas investituras, scilicet, puram. e. vbi pluribus dominium vtile et eius exercitium, et eventuale. e. vbi quibusdam dominium vtile statim, quibusdam autem tantum in certum casum tribuuntur quorsum SCHMIDT *Diss: de diversis simult: Inv: Spec: earumque differ:* ENGELBRECHT *Diss: de Indole Simult: Inv: Pomevanicae, aliique.* His subtilius et omnem humani ingenii intelligentiam excedere videtur, concedi quibusdam dominium ipsum absque exercitio, et tamen non conditionate, sed pure tribui, ideoque simultaneam investituram eventualem et coniunctam manum vno quasi fasciculo comprehendunt, eamque compositam molem, simultaneam investituram mixtam appellant. v. SCHMIDT l. c. §. 6. Verum enim vero coniunctam manum recte subiecti simultaneae investiturae purae probant, CARPZOV *Resp: Iur: Elect: l. 6. Resp: 77.* STRVVIVS, *Diss: de Simult: Inv: th. 12. et Synt: I. F. c. 7. aph. 6.* BOEHMERVS aliique, quorum vltimus *Dissert: de Simult: Inv: Event. non desid: renov: c. 1. §. 28.* argumentis dissentientium neruum incidit, vt adeo nostram coniunctae manus notionem non esse decepticem, renouato certamine euincere opus non sit. Videtur etiam simultanea investitura diuisa ad simultaneae investiturae species plane referri non posse, cum eadem res hic concessa non sit. Attamen cum diuersae vnus rei partes non sint plane, diuersae res et a plurimis etiam huius speciei mentio fiat, hos in re non periculosa sequi religioni nobis non duximus.

### §. XIII.

*Ius naturae in simultanea investitura communi et diuisa simultaneae inuestitis, si feudum est novum, nullum reciprocae successiois*



*ius tribuit, indeque nullus contingere potest feloniam alterius quoad alterum effectus, si vero feudum est antiquum, iis omnino ius succedendi sibi inuicem est, id vero non ex simultanea investitura, sed e iure sanguinis derivatur, indeque eorum successio, et effectus feloniam alterius quoad alterum non sunt alii, quam quos de successoribus legitimis Diss: praecedente §. XX. et XXI. deduximus.*  
**Nemo enim plus iuris in feudo nancisci potest, quam dominus in eum transferre voluit. Cum itaque dominus inuestiundo plures vel diuisis, vel indiuisis partibus, non obscure significauerit, se nolle vtilitatem feudi in vnum solum redundare, sed velle potius, vt cuique eius non nisi quaedam saltim cedat particula, patet, per simultaneam inuestituram dominum ius succedendi, quippe quod omnem feudi fructum in vnum concumularet, simultanee inuestitis, nec communibus, nec diuisis, concessisse.**

Cum autem in feudis antiquis successio e iure sanguinis iam obtineat, mirum non est, eos, qui sibi iam ob sanguinem successissent, idem ius succedendi eo casu, si simul postea inuestiti sunt, conferuare, idque eiusdem indolis, cuius antea fuerat, cum in simultanea inuestitura nullum ad mutationem momentum sit, manere,

#### §. XIV.

*Simultanea investitura euentualis et coniuncta manus dat ius succedendi in certum casum aperturae, indeque datur hic etiam effectus feloniam quoad simultanee inuestitos, qui is est, vt, si in casum aperturae in genere, aut aperturae per feloniam ortae in specie, promissa sit successio, apertura facta, ad simultanee inuestitos statim*



statim deuoluatur, ita quidem, vt primo loco e coniuncta manu, deinde vero ex simultanea inuestitura euentuali succedatur. Cum enim spes absque vero feudi vsu et fructu inanis et inutilis sit, opus est, vt concessa inuestitura simultanea euentuali vel coniuncta manu, ipsum feudum ad simultanee inuestitum quomdam perueniat, i. e. is in feudo in certum casum succedat. Reliqua patent e §. V. VI. VII. et VIII.

## §. XV.

In feudo antiquo agnati coniuncta manu et simultanea inuestitura euentuali, aut expectatiua, non egent. Cum enim ex inuestitura mediata, quam per primum acquirentem adepti sunt, a domino iam dominium vtile ipsum feudi habeant, non indigent aliis illud nunciandi mediis.

## §. XVI.

Quodsi tamen agnati in feudo antiquo simultaneam inuestituram euentualem vel coniunctam manum receperint, haec id emolumenti iis adfert, vt non demum, succedendi ordine ad ipsos delato, sed statim post commissam feloniam, feudum ad ipsos delabatur. (§. XIV.)

## §. XVII.

Simultanee inuestiti euentuales, et coniuncta manu indati, feudum ob feloniam vasalli non capiunt, nisi in casu, quo eius successores legitimi id capere nequeunt. (§. VI.)

## §. XVIII.



## §. XVIII.

*Plures simultenee inuestiti euentuales, vel coniuncta manu instructi, sibi non succedunt, sed quilibet eorum suum ius in successores, suos legitimos tantum transmittit. Demonstratio est, quam §. XIII. contexuimus.*

## §. XIX.

*Hinc non datur feloniam simultanee inuestiti, vel coniuncta manu praediti, effectus, nisi quoad successores legitimos, qui non est alius, quam is, quem Diss: praecedente §. 16-22, exposuimus. Cum enim ius horum simultanee inuestitorum obiectum habeat feudum, subiectum accipiens futurum vasallum, et finem successionem in feudo, ipsum ut feudum spectandum est; quo casu quod de effectu feloniam vasalli quoad successores legitimos dictum, necessario ad feloniam horum simultanee inuestitorum effectum traducendum erit. Vide etiam §. X.*

## §. XX.

*Omnes simultaneae inuestiturae species, quas §. XI. efformavimus, etiam iuri Longobardico conveniunt. Simultanea inuestitura communis prostat II. F. 26. Omnes filii eius, qui feudum acquisiverit, fidelitatem facere debent, maxime si indivisum habent. Divisa in eadem lege palam deprehenditur, cum vi vocis maxime alter casus, quo scilicet plures feudum diuisum habent, indigetetur. Coniunctae manus nulla quidem expressa et indubia vestigia in iure Longobardico*



dico inuenienda sunt, desunt tamen rationes, cuream iuri Longobardico refragari putemus. *Euentualis* denique ex omnium consensu latet I. F. 3.

*Si vero Archi episcopus, Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa inuestituram eius feudi, quod alius detinebat, eo tempore alicui dederit, vt post decessum eius, qui possidet, habeat &c.*

STRVVIVS Synt: I. F. c. 9. aph: 14. n. 1. species simultancae Inuestiturae iuris Longobardici definiturus, ad tres rem reuocat, scilicet ad eam, quam nos communem et diuisam nominauimus, quas species in vnum coagulat, ad feudum ex pacto antiquum et ad eam, qua vni quidem dominium vtile ipsum vna cum eius exercitio, alteri vero dominium vtile tantum ipsum, exercitii autem non nisi pars quaedam, scilicet possessio, competit. Verum primo omissam hic esse simultaneam inuesturae euentualis et coniunctae manus distinctionem, nemo non videt, deinde in feudo ex pacto antiquo, si agnati ipsi inuestituram ad se translatae consenserint, adesse quidem simultaneam inuestituram, si vero non consenserint, illos non immediate, sed mediate inuestitos esse, indeque ad simultaneae inuestitos referri non posse, in confesso est, denique tertiam STRVVII speciem, quam multi cum ipso I. F. 3. deprehendi existimant, non esse peculiarem quamdam speciem, sed veram coniunctam manu, abunde probauit BAVER Diss: de orig: et progr: comm: Sax: manus, s. XXVII.

§. XXI.

*Ius Longobardicum quoad simultaneam inuestituram communem et diuisam exacte ad ius naturae §. XIII. compositum est, et distinguit inter feudum novum et antiquum, vbi in illo his simultaneae inuestitiis successione mutua interdicat, in feudis antiquis autem*

C

*eandem*



*eandem admittit, modo tamen in iure naturae §. XII. deducto. Quod de feudo antiquo dictum dictum patet ex lege I F. 14. Si duo fratres simul inuestiti fuerint de beneficio nouo et non de paterno: si vnus eorum sine descendantibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit, non frater.*

Cum vero id, quod hac lege constitutum, ad feunovaresingatur, oportet indolem feudi antiqui aliud efficere, indeque in eo agnatos, quoniam successores legitimi sunt, succedere; quo facto effectus feloniam vnus simultanee inuestiti quoad alterum iidem erunt, quos *Diff: praeced.* §. 28 - 35. explicuimus.

### §. XXII.

*Quod de simultanea inuestitura euentuali et coniancta manu e iure naturali §. XIV. eruius, ius Longobardicum non mutat. Demonstratio enim ibi constructa partim ex essentialibus harum simultaneae inuestiturae specierum, partim e §. V. VI. VII. et. VIII. petita est. Priora ius positivum tollere nequit, posteriora de iure tam naturali, quam positiuo, tradita sunt, inde omnia in iure Longobardico adoptata esse oportet.*

### §. XXIII.

*Agnati in feudis antiquis iure Longobardico non minus, quam naturali (§. XV.), absque vlllo discrimine et dispendio simultanea inuestitura euentuali et coniancta manu, aut expectatiua, carent. Quoniam hic, aequae ac ibi, successores legitimi sunt.*

### §. XXIV.



## §. XXIV.

*E coniuncta manu tamen et simultanea inuestitura euentuali idem agnatis commodum est, quod ius naturae tribuit. §. XVI. Aliud enim non est in iure Longobardico dispositum.*

## §. XXV.

*Conspirat quoque ius Longobardicum et naturae in eo, quod §. XVII. tradidimus. Principium enim §. VI. uniuersale est.*

## §. XXVI.

*Quod §. XVIII. et XIX. docuimus, iuri Longobardico aequè respundet ita, modo mutatis mutandis, ut effectus feloniae simultaneae inuestitura euentuali et coniuncta manu insigniti quoad successores suos legitimos non e §. XVI. - XX. sed §. XXVIII. - XXXV. deriuetur.*

## §. XXVII.

*In iure Germanico nulla specierum simultaneae inuestiturae, quas §. XII. prodidimus desideratur. Simultaneam inuestituram communem vide I. F. S. c. VIII.*

**O**b zweene Mann mit einem Lehne semplich beliehen werden und ihr einer verleihet förder einem andern etwas von dem Gut, ihr keiner mag doch daran, ohne des andern Willen und wissen etwas leihen noch aufassen, und sonderlich seinen Herren zu schaden, oder da es dem Herren nachtheilig

C 2

sey,



sey, ALLDIEWEIL SIE AN DEM GVT NOCH NICHT GETHEILET SIND.  
*Diuisa continetur lege I. F. A. c. XVI. §. 2.*

Ist das zwen man ein Gut von eine Herren zu  
 Lehen hant, und den nutz beide mit einander nement,  
 der mag keiner das Gut one den andern aufgeben dem  
 Herren, noch keinen wandel damit getun, das es dem  
 andern geschaden möge, ES SI DENN, DAS SI DAS LEHN VND  
 DIENÜTZE VORTEYLENT. *Contiuncta manus obuia est* F. I. S. c. 35.

Leihet ein Herr seines Vaters Gut seinen Kin-  
 dern und Söhnen bey seinem Leben, VND DOCH DER VA-  
 TER DAS GÜT IN SEINEN GEWEHREN (possessione) BEHÄLT BIS AN SEI-  
 NEN TODT. Nach des Vaters Tode sollen die Kinder  
 binnen der Jahr-Zeit zu dem Herren kommen und  
 ihn bitten, das er ihre Lehen bekennen wolle, die zu-  
 vor ihr Vater und sie ietzund von ihm zu Lehen haben.  
*Vide etiam I. F. A. c. 68. §. 1. et AVT: VET: de benef:*  
*§. LXXXIX. si patris beneficio &c. Euentualis* prostat I. F.  
 S. c. 32.

Man mag viel Brüdern ein Gut leihen, ob sie es  
 mit gefämter Hand empfaen und gleiche Gewehr  
 daran haben. Wollen sie sich aber darnach schei-  
 den mit Gut, sie mögen es wol theilen unter sich  
 ohne des Herren willen, wie sie wollen. Wenn sie  
 sich aber theilen, so hat ihr keiner kein Recht mehr  
 an des andern Theil, ob der andere stirbt, IHM SEY DENN  
 ANDERWEIT DAS GEDING UND DIE ANWARTUNG DARAN GELIEHEN.

*Simultaneam inuestituram etentualem Germanis non  
 modo non incognitam fuisse, sed agnatis frequentissime  
 imofere vnice tantum profuisse probat Ill. BOEHMER Diff: de  
 Inuest: Simult: Euent: non defid: Renou: c. 1 §. xx. seq.  
 cui et hoc in capite accedit BAYER Diff: de Orig: et Progr:  
 Comm:*



*Comm: Sax: manus §. XLII. seq: cuius etiam causas acute conjicit. Coniunctam manum priscos Germanos plane nesciuisse, armis virisque contendunt LUDWIG Diss: de Sim: Iur: et Ill. de BALTHASAR Diss: de indole simul: iur: Germ: inuest: eiusque cum Longob: collat: qui posterior vna cum WERNHERO Diss: de success: in Simult: Inuest: §. xii. leges, a nobis pro ea probanda excitas, de expectatiua vestita seu simultanea inuestitura euentuali explicare student. Atenimvero licet negari nequeat, simultaneam inuestituram communem frequentiore fuisse, quippe quae inde nomen suum sortita est, attamen coniunctam manum e iure Germanico eliminare velle, temeraria in legum laudatarum disertissima verba violentia est.*

## §. XXVIII.

*Ius Germanicum in simultanea inuestitura communi et diuisa ratione eius, quod §. XIII. dictum est, a iure naturae recedit. Primo enim, in simultanea inuestitura communi successionem simultaneae inuestitorum inuehit mutua, in diuisa autem eandem reprobat; deinde vero inter feudum nouum et antiquum non distinguit. In simultanea inuestitura diuisa Germanos successione non tolerasse, patet e notissimo iuris Germanici Brocardico; *Theilung bricht die gesamte Hand.* In communi vero eandem Germanis arrisisse, edicit I. F. A. c. 65. §. II.*

WENNSU ABER DAS GUT UNTER SICH GETEYLLENT  
so hat ihr keinere nutzit an des anderen Gute. Vnd  
STIRBT IR EINER ON LEHENS ERBEN, SO IST SIN TEYLL DEM HERREN LEDIG.

In eadem sententiam loquitur I. F. S. c. 32. et  
VET: AVCT: de benef: §. LXXXIII.

*Plures possunt vno inbeneficiari beneficio, ita vt illud simul suscipiant, et aequale ius in hoc habeant, quamdiu simul manserint*



*Si autem voluerint ab inuicem separari, absque licentia domini, diuidant inter se secundum libitum totaliter concessum beneficium; Sed*  
 POSTERIORVM NULLVS IN PARTE ALTERIVS ALIQVOD IVS HABEBIT,  
 CVM ALTER OBIERIT, nisi susceperit a domino expectationem  
*in beneficiis.*

Cum in his textibus, quotiescunque successio excluditur, semper expresse haec sanctio ad casum factae diuisionis restringatur, nemo sanus dubitabit, leges eo ipso in casu opposito contrarium sancire. Cui et hoc accedit, quod in veteribus documentis, quae simultaneas inuesturas communes continent plerumque successio mutua diserte indulta sit partibus, vnde saltem conficitur, consuetam et solennem fuisse in hac simultanea inuestitura reciprocam successionem. Postremo denique loco res lucem fidemque non poenitentiam accipit diplomate quodam, quod est apud SCHILTERVM *Diss: de Simult; Inv; Princ: c. 2. §. IV. p. m. 339.*

*Johannes de Veldenz Abbas WIESENBURG: hat in Gemeinschaft gesetzt generos et eorum heredes masculos ex filiabus vasalli sui H. de Mulbusen, et inuestiuit eos, ita vt iis sine masculis heredibus defunctis, dieselben leben wider an die andern libes lebens erben, die democh in libe sint, fallen.* ALS DANN LEHEN GEMEINSCHAFT GEWOHNHEIT UND RECHT IST.

Haec vero circa successionem nostrorum simultanee inuestitorum cum absque distinctione et discrimine, inter feudum nouum et antiquum interfecto, in legibusprehendantur, ita etiam vt statuta sunt, accipiius est.

Nescio indequid WERNHERVM induxerit, vt l.c. §. XLXII. successionem in simultanea inuestitura communi strenue



strenue inficiatus sit, legesque a nobis excitas de feudo antiquo intelligi voluerit, cum iuris feudalís Germanicis peritis satis notum sit, agnatis in feudis antiquis nullum esse ius potius, quam in nouis, pratereaque restrictionis, quam molitus est, nulla adfint vestigia et argumenta, in contrariam potius partem veritatis sint plurima adminicula. Vnde restitus adstipulati sumus BALTHASARO l. c. §. xvii. qui iisdem nobiscum argumentis vitar.

## §. XXIX.

*In iure Germanico itaque nouus oritur effectus feloniae quoad simul inuestitos, scilicet in simultanea inuestitura communi, qui non est effectus quoad successores legitimos, sed effectus quoad successores praeter legitimos, indeque non censendus ex principiis §. xxviii- xxxv. Dissertat: praec: sed ex principiis Diss: praef: §. v. vi. vii. et viii. siue feudum sit nouum siue antiquum. In simultanea enim inuestitura communi simul inuestiti sunt immediate inuestiti, non mediate, indeque non sunt successores legitimi, sed praeter legitimos. Non distingui autem inter feudum nouum et antiquum patet e§. antec.*

## §. XXX.

*Quod in iure naturae §. xiv. de simultanea inuestitura euentuali et conjuncta manu probatum inimus, iuri Germanico conforme est. In hoc enim Germanos diuortium a iure naturae non fecisse, eodem modo patet, quo de Longobardis §. xxii. probatum est.*

## §. XXXI.



## §. XXXI.

*Iure Germanico agnati in feudo antiquo non minus, quam nouo, simultanea inuestitura euentuali, aut coniuncta manu, aut expectatiua, ad ius succedendi indigent, si simultanea inuestitura communi cum vasallo inuestiti non sunt, qua si inuestiti sunt. non egent simultanea inuestitura euentuali aut coniuncta manu, sed succedunt iam vt simultanee inuestiti communes (§. XXVIII) Si enim agnati simultanea inuestitura communi inuestiti non sunt: vel diuisa inuestiti sunt, vel nulla simultanea inuestitura inuestiti, aut expectatiua donati sunt: *Ibi*, ne succedant, diuisio obstat (§. XXVIII.) indeque ad successiorem simultanea inuestitura euentuali, aut coniuncta manu, aut expectatiua, egent. *Hic* vero, cum ius succedendi aut qua successores legitimi aut qua praeter legitimos habere debeant, praeter legitimos autem successores esse nequeant, vt postea apparebit, qui simultanee inuestiti aut expectatiuarii non sunt, legitimi successores itidem non sint, quoniam agnatorum quotalium secundum ius Germanicum nulla est successio, simultanea inuestitura euentuali, aut coniuncta manu, aut expectatiua, egere constat. Agnatos autem per se in feudis antiquis non succedere, patet ex *I. F. S. c. 21. in fin.**

Es vererbet auch niemand kein Lehen an einen andern ohn der Vater auf den Sohn. et *I. F. A. c. 43. §. II.*

Es erbet niemand Lehen, wenne der Vater uff den Sün.

§. XXXII.



## §. XXXII.

Quod ius naturae circa simultanee investitos eventuales et con-  
iuncta manu instructos (§. XVII.) statuit, etiam in iure Germanico  
obtinere, ita tamen, ut hic per successores legitimos non omnes primi  
acquirentis descendentes, sed ultimi vasalli tantum posteri intelligantur.  
Haec ipsa enim sanctio nititur §. VI. qui tam firmo  
superstructus fundamento, ut omnia iura positiva  
pervadat. Per successores legitimos autem hic tan-  
tum ultimi possessoris posteros intelligi perspicuum  
est ex §. antec.:

## §. XXXIII.

Plures simultanee investiti eventuales aut puri seu coniuncta ma-  
nu praediti, iisdem litteris investiturae comprehensi, sibi inuicem suc-  
cedunt in simultaneae investiturae iure, ut simultanee investiti com-  
munes in feudo, indeque noua hic est inter ius Germanicum et ius  
naturae (§. XVII.) discordia. Cum enim plures qui feudum  
indiuisis partibus accipiunt, sibi succedant (§. XXVIII.)  
ratio non est, cur, qui simultaneam investituram, quae  
instar feudi est indiuisim accipiunt, quod  
fit, si pluribus in iisdem investiturae litteris tribuatur,  
sibi inuicem succedere non debeant.

Id etiam ita, ut ex principiis deduximus, in praxi ob-  
tinere, patet e. g. in Saxonia e Regiae voluntatis declara-  
tione ad Statuum provincialium supplicationem a. 100. ra-  
tione coniunctae manus emissa, quae exstat apud MENKEN.  
de iur. off. simult. invest. p. 29. Alldieveil, vvenn mehr  
als einer in gesamter Lehen an einem Guthe stehen, ver-  
möge der Lehen-Rechte EINEM IEDVVEIDEN DERSELBEN DIE MIT-  
BELEHN-



BELEHNSCHAFT IN SOLIDUM ZUKOMMT, und folche nur fodann, vvenn eine vvürkliche Theilung gefchiehet, gebrochen vvird, dahingegen, vvenn die übrigen mit Gelde oder sonst abgefurden vvorden, dieselben in Effectu zur Succession nicht gelangen, sondern derienige, so das ganze Guth auf diese Maafs an sich bringet, SOLCHES ALLERDINGES KRAFT SEINER IN SOLIDUM HABENDEN MITBELEHNSCHAFT ERHAELT, und folglich, daß es entweder ganz oder zum Theil ein neues Lehen sey, nicht zu behaupten, vielmehr vvenn man dieses einräumen vvolve, so oft ein Vater verfirbt und mehr Söhne hinter sich läset, nur einer aber die Güter behält, feuda noua vvürden constituiret, und mithin dem Lehn-Herrn neue Mitbelehnten obrudiret vvorden, so können auch Se, Königl. Majest. nicht gestatten, daß in dem Fall, da, vvie gemeldet, ein Mitbelehnter nebst andern im Lehn zugleich succediret und denen übrigen ihre Antheile abgehandelt, vveder das ganze Lehen, noch auch die erhandelten Stücken, pro nouo zu achten, und desvvegen neue Mitbelehnten anzugeben, frey gelassen sey.

§. XXXIV.

*Inde quod de effectu feloniae vnius vasalli quoad alterum communi cum eo simultanea inuestitura insignitum §. xxix. adseruimus, valet etiam de effectu feloniae vnius coniunctam manum, aut simultaneam inuestituram eventualem habentis, quoad alterum. Posito enim vno, scilicet §. antec. sequitur et alterum.*

§. XXXV.

*Antequam effectus feloniae simultaneae inuestiti eventualis aut coniuncta manu gaudentis quoad reliquos simultaneae inuestitos eventuales*



tuales aut coniuncta manu praeditos obtineat, felonia ratione successorum legitimorum effectus suos exserit, qui in simultanea inuestitura euentuali plane conueniunt cum iis, qui §. xxviii-xxxv. *Diss. praec. traditi sunt, in coniuncta manu autem quoad descendentes cuiusque ultimi coniunctam manum possidentis cum iis conueniunt, qui secundum ius Longobardicum quoad descendentes vasalli delinquentis obtrinent, quoad agnatos autem exulant.* Ordo ille, quo successores feudales felonia tangit, ita fert, vt primo ad successores feudales, deinde ad simultanee inuestitos referatur (§. vi.). In simultanea autem inuestitura euentuali effectus feloniae simultanee inuestiti quoad suos successores legitimos conuenire plane cum effectu feloniae vasalli quoad suos successores legitimos inde est, quoniam primi simultanee inuestiturae euentualis acquirentis descendentes omnes sunt successores legitimi, quod inde patet, quoniam hi renouatione inuestiturae ad successionem in inuestituram euentualem non egent, indeque ius succedendi in inuestituram euentualem vnice ex inuestitura primi simultanee inuestiturae acquirentis habent. Renouatione vero eos non egere amplissime demonstrat III. BOEHMER *Diss. de Sim. Ino. Euent. non desid. Renou.* §. xxxvi. At vero in coniuncta manu effectus quoad agnatos ultimi coniunctae manus possessoris cessare, ex eo liquet, quoniam agnati non sunt successores legitimi ex iure Germanico, sed aut simultanee inuestiti aut expectatiuarii aut plane nulli successores feudales (§. xxxi-xxxii.), effectus vero feloniae quoad descendentes ultimi coniunctae manus possessoris cur non conuenire debeant cum effectibus



feloniae ultimi feudi possessoris quoad suos descendentes, ratio non est.

Optime cohaerent omnia in simultanea inuestitura. Vides descendentes coniuncta manu inuestiti post mortem patris renouare inuestituram, etiam si feudum ad ipsos nondum deuoluatur. Hoc non ideo faciunt, quoniam absque hac renouatione patri in coniuncta manu non succederent. Succederent enim iam ut successores legitimi, cum descendentes iure Germanico semper sint successores legitimi. Verum renouatio ideo fit, ne si duorum, qui patri iam in coniuncta manu succedunt, alter moriatur, alter ab eius parte plane excludatur, quoniam ut eius agnatus ius ipsi succedendi non haberet. Inde petunt renouationem inuestiturae, seu potius petunt simultaneam inuestituram communem, quae alteri dat ius in alterius portionem, si hic posteritate orbis et improlis moriatur, succedendi. Inde etiam si coniunctae manus possessor vnum tantum dum moritur descendente relinquit, hunc ad renouationem inuestiturae teneri non putarem, eoque modo descceptionem Doctorum, quorum alii descendentes coniunctam manum possidentis, antequam feudum ad ipsos deuoluatur, ad reuocationem inuestiturae teneri negant, alii adfirmant, componi posse arbitraver.

§. XXXVI.

*Descendentium vasalli ex iure Germanico, antequam ad eos feudum est deuolutum, alter alterius est successor legitimus. Pone enim vasallum tres suscepisse filios et ante mortem ipsius vnum eorum e vita discedere, largieris, patre defuncto, reliquos duos fratres totum feudum nancisci. Inde portionem fratris demortui simul capiunt. Iam vero ante feudi ad ipsos deuolutionem nondum erant cum fratre immediate inuestiti, sed*



sed mediate tantum in communi patre. Inde cum ei succedant, succedere, non vt successores praeter legitimos, sed vt successores legitimos, in promptu est.

## §. XXXVII.

*Inde effectus feloniae vnus descendendum, ad quos feudum nondum deuolutum, quoad suos collaterales est is, qui Diss. praec. ratione collateralium, qui sunt successores legitimi, iure Longobardico traditus, et in eo consistit, vt si descendendum vnus feloniam commiserit, ob quam eum cum posteris feudo priuat dominus, reliqui descendentes mortuo parente eius portionem non simul capiant, sed illa fiat domino, donec delinquens cum posteris extinctus sit, aperta, euiente autem delinquentis cum suis posteris interuentione, portio ista ad reliquos, qui tempore commissae feloniae erant descendentes, ipsius collaterales, eorumue descendentes, perueniat. Concessio eo, quod §. antec. dictum, necessario et hoc dandum est.*

## §. XXXVIII.

*Quod de descendentibus vasalli, ad quos feudum nondum deuolutum §. xxxvi. et xxxvii. dictum est, valet etiam de descendentibus simultaneae inuestiti, ad quos simultanea inuestitura nondum deuoluta. Quoniam abest disparitatis ratio.*

## §. XXXIX.

*Si simultaneae inuestitus, qui coniuncta manu instructus est, reuocationem inuestiturae negligendo, aut aliud quid committendo, feloniae reus factus est, dominus vel praetereundo ipsum in litteris inuestiturae vel alio modo iam declarauit, se velle eum iure suo priuari*



uari, vel non. Hic ei feloniam remittere potest saluo iure quaesito reliquorum simultanee inuestitorum, ibi absque laesione iuris quaesiti eorum remittere nequit. Tota demonstratio in §. XI. fita est.

## MEMBRVM. II.

DE

## EFFECTV QVOAD EXSPECTIVARIOS.

## §. XL.

*Exspectatiua feudalis* est ius, a solo domino directo concessum, dominium vtile feudi, aliorum dominio vtili extincto, exigendi. Diuiditur in *nudam* et *vestitam*, prout vel inuestitura euentualis accessit, vel non. Vestita autem cum nihil aliud sit, quam simultanea inuestitura euentualis, hanc vero priori membro iam absoluerimus, ad nos hic non pertinet, sed nobis cum nuda tantum res erit, quam inde per expectatiuam simpliciter nuncupatam significatam semper volumus.

## §. XLI.

Secundum ius naturae effectus feloniae vasalli quoad expectatiuarium est, ut si successores legitimi et simultanee inuestiti puri aut euentuales plane non succedunt in feudum per feloniam amissum, illud ad expectatiuarios, quibus in casum feloniae, aut aperturae in genere expectatiua concessa, statim devoluetur. (§. v. vi. vii. et viii.)

## §. LXI.



## §. XII.

Plures expectatiuarii simultanei i. e. eodem tempore iure suo donati sibi invicem non succedunt, sed quilibet eorum ius suum in successores legitimos tantum transmittit, indeque effectus feloniae alterius quoad alterum exultat, inter plures vero expectativarios diversis temporibus ius suum nactus, si prior feloniam committit, huius quidem effectus est ut expectativa posterior quae primo inualida erat, robur et valorem accipiat, sed hic expectatiuarius dici nequit prioris successor, Plures expectatiuarii simultanei ob eandem rationem mutua egent successione, ob quam plures simultaneae inuestiti communes (§. XIII.) Ad successores legitimos vero feudum transmittitur eam ob causam, quoniam in feudo succedunt successores legitimi, et expectativa feudalis exeadem ratione pro feudo habenda est, ex quo id in simultaneae inuestitura fit (§. XIX.) Duarum, expectatiuarum posteriorem si prior possessum datur valetudinem ex infirmitate recipere, inde patet, quoniam impedimentum remotum est, ob quod inualida erat, inualiditas vero adesse nequit, ubi ratio, quae eam causatur cessat. Cum vero expectativarius posterior ius antea a priore possessum per feloniam non acquirat, sed haec tantum efficiat, ut expectativarius quod iam habebat, ius validum evadat, ad successorem vero requiratur saltem, ut ius, ab eo, cuius successor est, possessum adipiscatur, expeditum est, expectatiuarium posteriorem prioris successorem dici non posse.

Ne quem simultaneae expectativae nomen mordeat, id a me non inuentum, sed iam ab Excell: BECKMANNO *Diss: de Exsp:*



*Exp: Feud: earumque collis: §. XLIX. vsurpatum esse, meminerit.*

## §. XLII.

*Expectatiuarii feloniae effectus quoad suos successores legitimos est, idem, qui de feloniam vasalli quoad eosdem in iure naturae §. XIX - XXII. Diff: praec: traditus Id probo e §. X. et similitudine huius cum eo, quod §. XIX. traditum est.*

## §. XLIII.

*Quod §. XII - XIII. iure naturae quoad expectatiuius erimus, iure Longobardico et Germanico mutatum non est, quod ita modo intelligendum ut effectus feloniam expectatiuarii quoad suos successores legitimos secundum ius Longobardicum e §. XXVIII - XXXV. Diff: praec: hauriendus sit. Mutatio enim nulla doceri potest, et principia iuris Longobardici in effectu feloniam expectatiuarii quoad successores suos legitimos ideo sola sollicitanda sunt, quoniam omnes successores expectatiuarii, primi acquirentis, absque vlla renouatione inuestiturae aut noua inuestitura, dominiue declaratione, in ius primi acquirentis succedunt, indeque omnis hic successio est successio successorum legitimorum, in qua solum ius Longobardicum obtinet (§. X.)*

*De successione in Expectatiuam feudalem vide solidam Praeceptoris summe Colendi III. NETTELBLATTII Diff: de successione in expectat: Feud: et HELFRICH Dissert: Casus potiores extinctae expect: Feud: §. XXVII. vbi nostris principiis non difformia praeepta tradita inuenies.*

## §. XLIV.



## §. XLIV.

*Si cui expectatiua in casum aperturae morte vasalli enatae concessa, vasallus autem per feloniam feudi iacturam facit, expectatiuarius feudum exigendi ius non habet, etiamsi non ita multo post vasallus e vita migret.* Dominus enim, cum mortis casum, quo fiat apertura, expectare iusserit, alios mortis casus, quibus non fit apertura, palam exclusit. Jam vero per mortem feloniam, ob quam vasallus feudo eiectus est, subsecutam non fit apertura, cum apertura iam per feloniam facta sit, ergo haec mors expectatiuario nihil prodest.

Suffragantur quoque nobis plerique classici JCi, quorum e. gr. STRUVIUS in S. J. F. c. 7. §. 5. n. 7. et 8. HARTM. PISTOR. p. 2. Q. 25. n. 37. aliique complures. His vero obloquitur III. WOLFIUS in Elem. Jur. Feud. c. 7. §. 6., pro suaque sententia has rationes addert, quod 1) conditio speciatim sit impleta per mortem subsequentem. 2) Dominus iure ex felonia quaesito non caruerit. Verum vtrumque negatur, conditio enim fuit, vt feudum per mortem aperiat, hoc vero factum non est, si apertura iam antea per feloniam facta sit, indeque si post factam iam per feloniam aperturam mors eius, qui fuit vasallus, contingat, conditio non speciatim impleta, nec dominus iure ex felonia quaesito non caret, quia eius ius quaesitum est, feudum apertum perpetuo retinere, quo caret, si illud expectatiuario, prementi et promissionem vrgenti, largiri teneretur.

## MEMBRVM III.

## DE EFFECTV QVOAD SVCCESORES TESTAMENTARIOS ET PACTITIOS.

## §. XLV.

*Succesor feudalis testamentarius est succesor, cui ius feudum apertum a domino exigendi ex vltima*  
E  
volun-



voluntate vafalli, a domino confirmata, competit; *ſucceſſor pactitius* vero eſt, cui idem ius ex pacto cum vafallo inito et a domino confirmato competit.

§. XLVI.

Jus ipſum ſucceſſorum teſtamentariorum et pactitorum ſi cum exſpectatiuis contuleris, idem eſſe cum his reperiſ; originis tantum ratione diſſerre. Quae cum ad iurium naturam et indolem mutandam hic comparata non ſit; patet, omnia ea, quae §. XLIV. de Exſpectatiuis dicta, hic pari ſtatuenda eſſe modo, nec hic quicquam dici poſſe, quod ibi tractatum non ſit.

CAPUT II.

DE

EFFECTV FELONIAE VASALLI  
QVO AD SVCCESORES FEVDALES  
PRAETER LEGITMOS IN FEVDIS  
ECCLESIASTICIS.

§. XLVII.

*Feuda eccleſiaſtica* nobis ſunt res, quarum dominium vtile nexu feudali pertinet ad beneficium quoddam eccleſiaſticum et *ſucceſſor in feudis eccleſiaſticis* eſt qui, olim ad feudum eccleſiaſticum perueniendi, ius habet.

Feudorum eccleſiaſticorum multiplex eſt ſignificatus, quorum ſignificatum is notiſſimus eſt, quo *feudum eccleſiaſticum* alias etiam *feudum Cambocae* dictum, ea res vocatur cuius dominium directum nexu feudali ad eccleſiam pertinet. De his feudis nihil hic tradetur, cum diuerſi quidquam ab iis, quae de feudis non eccleſiaſticis ſupra docuimus, in his non occurrat.

§. XLVIII.



## §. XLVXI.

Secundum ius naturae, vasallo in feudo ecclesiastico *feloniam* patrante, beneficio ecclesiastico inde nullum detrimentum, sed cui hoc cedit, is etiam ad feudum ecclesiasticum pervenit. Cum enim feudum ecclesiasticum ad beneficium, non ad vasallum, feudi ecclesiastici possessorem, pertineat, huic quidem ob delictum adimi potest, ecclesiae autem, in qua culpa nulla est, id auferri non potest. Inde remanet penes ecclesiam et transit ad quemvis, in quem ecclesia beneficia sua confert.

## §. XLIX.

Feudorum ecclesiasticorum Imperii, Praesulum Germaniae ab iis, quae §. XLVII. XLVIII. explicavimus, non dispar est conditio. Inde etiam per feloniam ab ipsis commissam ecclesiae damnum non inferitur, licet ipsi ob feloniam feudo abire iubeantur sed, si tempore feloniae, commissae simul oritur sedis vacantia, feudum ecclesiasticum donec novus succedat praelatus ad capitulum pertinet, si vero sedes non simul vacans redditur, feudum ad Imperatorem et Imperium devolvitur, donec Praelatus e vita auocetur, quo facto ad ecclesiam, quam tunc capitulum constituit, reuertitur. Historia enim docet, Imperatores ea feuda, de quibus hodie praelatos inuestiunt, ita beneficiis ecclesiasticis adiecisse, ut numquam postea illa ab his separauerint, nec licet voluerint, quod sub Henrico V. Imperatore accidisse constat, V. STRUVII *Reichs-Historie* p. 1. §. 68. 69. tamen, renitentibus et contradicentibus Episcopis, non potuerint, posteaque ab hoc proposito, ne illaetabiles funestaeque turbae excitarentur, praeparato consilio destiterint. Inde id expeditum est, feuda imperii, quae tenent Praelati eorum



eorum beneficiis coniunctione sempiterna et indissolubili cohaerere, indeque eius indolis esse, quae feudis ecclesiasticis §. XLVIII. tributa est, vt recte et cum ratione apud OTTONEM FRISINGENSEM L. 2. de gest. Frider. c. 2. dicatur: *Regalia non personis sed ecclesis perpetualiter a Principibus tradita sunt.* Inde si praelatus feloniam committat, hanc ecclesiae non obesse, natura suadet et ratio. Cum tamen ea mente beneficiis ecclesiasticis feuda ab Imperatoribus data esse constet, vt inde Praelati redditus habeant: quotiescunque hi per feloniam crimen feudo se indignos reddiderint, illud ad Imperatorem et Imperium redire deberet, donec nouus Praelatus in locum prioris succederet. Atque Imperatores id ius feudum ecclesiasticum apertum, donec nouus Praelatus beneficium nanciscatur, occupandi sub nomine *iuris deponis seu regaliarum* quouis casu exercuisse, postea etiam, quam inuestituram per baculum et anulum Pontifici cesserant, certissimum est. v. III. WIEDEBURG: *in den unpartheyischen Betrachtungen nach Anleitung Struven's Reichs-Historie* p. 238. et ITERUM *de feudis Imperii* c. 24. §. II. licet id *in Repert. I. P. et F.* ad tempus, quo cessio inuestiturae per baculum et anulum facta nondum erat, restringatur. At succedenti tempore ius illud regaliarum eo casu, quo sedis vacantia oritur, hodie amissum esse, et feudum interim ad capitulum deuolvi, omnes consentunt. Eo autem casu quo vacantia nulla enascitur, sed post feloniam commissam Praelatus adhuc beneficium retinet, hodieque Imperatori et Imperio ius feuda ecclesiastica Imperii, donec viuunt Praelatus, vindicandi vt aperta, competit, idque ius non raro ab Imperatoribus exercitum fuit, vt a Friderico I. ad-

I. ad-



## I. aduersus Episcopum Halberstadiensem &amp; Bremensem &amp;c. de quo vide ITERUM l.c.

Notandum vero est, non omnia, quae a Praelato, quali possidentur, esse feuda ecclesiastica Imperii; nec enim de omnibus Imperator Praelatos innesit. Id apparet ex conuentione inter Henricum V. et Calixtum II. inita, quam habet BARONIUS *Annal. T. 12. ad a. 1122.* et die neucste Ausgabe der R. A. 1. Theil p. 5. e verbis Pontificis: *Electus Regalia per sceptrum a Te recipiat, EXCEPTIS OMNIBUS, QUAE AD ROMANAM ECCLESIAM PERTINERE NOSCUNTUR.* Quae enim beneficium ecclesiasticum constituunt, et dominia vtilia feudorum, quorum alii, praeter Imperatorem et Imperium, domini directi sunt, aliaque, non efficiunt feuda ecclesiastica Imperii, indeque nec regaliarum iure ab Imperatore occupari possunt.

## §. L.

*In feudis ecclesiasticis imperii non dantur proprie successores feudales, nec legitimi, nec praeter legitimos, successores tamen in beneficio ecclesiastico improprie ita dici possunt.* Omnes enim successores feudales in eo conueniunt, quod dominus illis ius quondam ad feudum perueniendi tribuat. Iam vero cum Imperator iis tantum feuda ecclesiastica concedere possit, quos ecclesia in beneficio ecclesiastico collocauit, consequitur, eum nemini ius suum antevertere, indeque neminem successorem feudalem constituere posse. Quoniam tamen successores in beneficiis ecclesiasticis, simul fiunt possessores feudi, possunt quodammodo successores feudales dici.

Cum successoribus in beneficio ecclesiastico nihil quidem nobis negotii est, quoniam tamen fiunt possessores feudorum, de iisdem, quatenus iis cum successoribus feudalibus est cognatio, pauca quaedam adiciere, abs re non erit.



## §. II.

*Successores legitimi in beneficiis ecclesiasticis esse nequeunt.*  
 Quilibet enim Praelatus a capitulo tantum solus eligitur, et nemo pro se et descendentibus beneficium ecclesiasticum acquirit, quia ad Praelati dignitatem peculiaris quaedam qualitas requiritur, quibus in casibus nullum ius ad successores legitimos transire solet, nec Praelatis fas est improlibus non decedero.

## §. LII.

*In beneficiis ecclesiasticis esse de beneficio ipso, antequam ad eius usum fructum pervenire possint, simultanee inuestitor, insolens et inaudirum est, esse successores testamentarios partitionis, reprobatum, esse expectatiuarios, in usu et obseruantia est.* Licet id fieri possit, ut quis inuestituram ecclesiasticam reciperet, antequam ad ipsum beneficium adspiraret, cum quod norim nullae adsint leges prohibentes, tamen id factum esse, exemplis non constat. Commendationes autem successorum ab iis factae, qui a beneficio suo discedunt, sunt prohibitae ex iure canonico, quoniam successor Simoniae suspectus habetur v. BOEHMERVM I. Eccl: Prot: l. 1. t. 9. §. XIV. inde eò magis, nominare testamento successorem aut pacto eum constituere velle, a iuris ratione alienissimum foret. Expectatiuarios, licet olim iuri canonico odiosos, postea tamen frequentissimos factos esse, docet idem BOEHMERVS l. c. l. 3. t. 8.

Neque minus Commendationes successorum subsequente tempore inualuisse, patet etiam e l. c. eas tamen lege in regula confirmatas esse non inuenimus.

## §. LIII.



## §. LIII.

*Plures beneficij ecclesiastici professores pluresque expectatiuarii iunctim iuri canonico adversantur. Ibi enim adellet, hic vero necessario sequeretur diuisio beneficij, haec vero per ius canonicum vetita c. VIII. X. de praebend. Maioribus ecclesiae praebendis in sua integritate manentibus, indecorum nimis videtur, ut minorum claricorum praebendae patrantur sectionem,*

## §. LIV.

*Si Expectatiuarius in beneficium ecclesiasticum, cui iunctum feudum ecclesiasticum imperii, delictum in Imperatorem et Imperium committit, quod foret feloniam expectatiuarii feudalis in feudo quodam Imperii, is effectus, quem in expectatiuario feudali produceret feloniam etiam statuendus est in expectatiuario in beneficium ecclesiasticum, ita ut si is ob feloniam priuaretur, feudo Imperii, hic non minus ob suum delictum feudo ecclesiastico imperii exuatur. Cum enim vasallus in feudo ecclesiastico Imperii in eo similis sit vasallis in reliquis feudis imperii, vt, quemadmodum illi ob feloniam, quae in eos cadit, feudo priuari possunt, ita hic quoque ob eandem feudo interdicitur, §. XLIX. ratio non est, cur expectatiuarius, qui olim erit possessor feudi ecclesiastici imperii eodem loco haberi non debeat, quo habetur expectatiuarius feudalis in alia feuda imperii.*

## §. LV.

*Possimus et ad feuda ecclesiastica reliqua, Praeter feuda ecclesiastica imperii, progredi, sed longior foret hic trames, et impar viri bushiatus. Vnde filum dis-*  
 pu-



putationis abrupto; in calce vero operis quaedam adhuc de effectu feloniae quoad successores in feudis ducatus Magdeburgici addere liceat, cum istud iuris patrii caput controuersis abundet, et diuersissimis Iudiciorum interpretationibus obnoxium sit.

§. LVI.

In Ducatu Magdeburgico semper successio coniunctae manus Germanicae seu Saxonicae obtinuit, vt ex Perill. Ludewigio Diff: de Simult: Invest Differ: 2. c. 3. patet. Inde ea, quae de effectu feloniae in coniuncta manu Germanica supra tradidimus, hic vigeant omnia. Recentiori autem aevo, scilicet a. 1719. REX Borussiae Clementissimus FRIDERICVS WILHELMVS in feudis Ducatus Magdeburgici publicis omnem inter se et vasallos eorumque successores feudales soluit et sustulit per sanctionem illam notissimam, die Assurance vor die Ritterschaft im Herzogthum Magdeburg, vnde capitalis orta principiorum, quae supra stabiluimus, clades. Feloniarum enim effectus totus fere expirauit, quo sublato omnia nostra ad inane, aliquid nihil reducuntur. Id patet e §. VI. Sanctionis Regiae: Da auch durch Aufhebung des nexus feudalis nunmehr alle Lehns-Fehler gänzlich abgestellt und die Gefahr der Caducitaet gänzlich gehoben worden: so declariren Se. Königl. Maieft: allergnädigst, daß alle Lehns-Edicte, sie mögen Namen haben wie sie wollen, hierdurch gänzlich aufgehoben, dagegen alle dagegen begangene Fehler, sie mögen seyn von was Art, Zeit und Natur sie immer wollen, gänzlich par-



pardoniret seyn, auch von nun an und zu ewigen zeiten Niemand wegen eines Lehns-Fehlers weiter belanget oder in Anspruch genommen werden soll, den Mitbelehnten aber, welche aus solchen Lehns- fehler ein Ius quaesitum erhalten, bleibet ihr Recht billig vorbehalten und soll ihnen davon hierdurch nichts entzogen werden.

Cum vero per hanc Sanctionem non omnes omnino felonias elisas et extirpatas esse existimem, meam circa hunc locum sententiam ad duas subsequentes positiones revoco:

### §. LVII.

*Feloniae omnes post annum 1719. commissae, toto quem habere possent, effectu solutae sunt, nec interest hic quodcumque simultanee inuestitorum vel successorum legitimorum ius quaesitum.* Non obest enim ius quaesitum simultanee inuestitorum ne effectu felonia careat, nisi dominus antea, se iure suo, ex felonia vasalli acquisito illum feudo exturbandi vsurum declaraverit, postea vero feloniam remittere velit. §. xxx. x. Jam vero quaecumque post annum 1719. felonia committatur, Dominus statim declarat se velle hanc feloniam remittere, inde ius quaesitum simultanee inuestitorum nullum hic obstat. Cum itaque omnes felonias remissas et sublatas esse velle declaraverit Dominus non obstat ius quaesitum simultanee inuestitorum et omnes omnino feloniae post annum 1719. commissae solutae et recisae sunt. De successoribus legitimis vide §. xi.

Quodsi itaque aut vasallus possessor aut simultanee inuestitas post annum 1719. committat, quod antea felonia fuis-

F

set



set, infecto censendum pro nec in committentem aut successores eius legitimos amissionis poena statuenda.

§. LVII.

*In felonis autem annum 1719. commissis distinguendum an Dominus iam omittendo in inuestiturae litteris, aut alio modo, vindicandi animum declarauerit, an non. Illae feloniae per Sanctionem Regiam remissae non sunt, hae remissae et resolutae sunt. Cum enim Rex clementissimus edixerit, se velle salvo iure simultanee inuestitorum felonis vires adimere, sequitur, ut eas tollere noluerit, ubi simultanee inuestitorum ius quaesitum per illam remissionem laederetur. Iam vero salvo horum iure quaesito feloniae, quas se vlturum dominus iam declarauit, postea remitti nequeunt, (§. xxxix.) ergo has quoque felonias tollere noluit Rex Clementissimus. In casu opposito autem nullum obstat ius quaesitum simultanee inuestitorum c. §. cit: ergo hae feloniae omnes pro infectis habendae sunt.*

Si igitur quisquam simultanee inuestitorum numero, qui iam ante ann. 1719. poena priuationis a domino mulctatus erat, iam adhuc numerum simultanee inuestitorum iterum recipi vellet, contradicendi ius reliquis competere arbitror.

§. LIX.

*Expectatiuarii utuntur adhuc iure communi. In iis enim feudis, in quae datae fuerant expectatiuae mutatio nulla facta Art: II. Inde cum expectatiuae ipsorum feudorum iure censeantur, etiam in expectatiuis nil a iure communi diuersum tenendum est.*

F I N I S.











ULB Halle  
004 931 394


3











B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA  
DE

**EFFECTV FELONIAE  
VASALLI QVOAD SVCCESORES  
FEVDALES PRAETER LEGITI-  
MOS, ET EFFECTV FELONIAE  
SVCCESORVM FEVDALIVM  
QVOAD ALIOS SVCCES-  
SORES FEVDALES.**

1757  
14

P. 3A1

QVAM  
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS,  
CONSENSV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS  
IVRISCONSULTORVM ORDINIS,  
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE  
HONORIBVS AC PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
RITE CONSEQVENDIS,

DIE XVI. SEPTEMBR: A. MDCCLVII.  
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS PVBLICE DEFENDET  
ERNESTVS CHRISTIANVS WESTPHAL  
QVEDLINBVRGENSIS.

HALAE MAGDEBVRG. LITTERIS FABERIANIS.

